20

# LXXX.
# De
# ARBORIBUS
# Raris & admirandis,
qvæ ex
# Arboretis maximè Indicis
ſunt translatæ,
duo Budiſſini,

DANIEL PRÆTORIUS,
IOHAN. CHRISTIANUS LEHMANNUS,

Valedicturus

Orationes Latinas

*Feriâ tertiâ paſchali,*

*nempe*

24. April. memoriter habebunt.

*His ut*

Tit. Dn. Patroni, Fautores, atqvè Amici
vel per unius horulæ ſpatium
*Deſideratam præſentiam commodare.*
*&*
*favorem ſuum erga Perorantes*
Imo totam Scholam demonſtrare
velint
*eo, qvo debet modo rogat.*

M. JOHANNES Roſenberg/ S. E. R.

*Ovid. 4. de Pont. 2. 35.*
*Excitat Auditor ſtudium, laudataqvè Virtus.*
*Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.*

---

BUDISSÆ, Litterrs Richterianis, An. 1696.

l. anfang



Actenus varii generis argumenta ad d clamandum fuere oblata. Maximam pa tem ea ſuppeditavit vel *Ethica, vel Politi vel Hiſtorica.* Sed qvia varietas delecta itaqvè Declamatoribus, vernis *arbori* floribus captis in *Arboretum* deambulatiunculam inſ tuere, & in eo, *arbores* non vulgares, ſed *raras atq; adm randas* ſpectare, ſpectatasqvè ad majorem DEI ſapientia & Bonitatem cognoſcendam in conſeſſu publico oſte tare placuit. Et ne ab argumento longiùs abire videar pauca etiam, qvæ lectio privata ſuggeſſit, de *arborib* cùm in benevoli Lectoris gratiam, tùm in diſcipuloru meorum uſum communicabo. Primùm autem tr dam arborum *utilitatem*, deinde *Varietatem*, *poſteà Qva titatem*, & deniqvè admirandam *Qvalitatem*.

*Utilitas.*

*Utilitas* arborum non ſatis intelligi poteſt niſi, pri earum partes explicatæ fuerint. Siqvidem ſua cuiqv parti eſt utilitas. Numerantur autem earum 10, ut (1.) *ra dix*, (2.) *ſtipes*, *vel caudex* (3.) *medulla*, (4.) *cortex*, (5 *rami & frondes* (6.) *ſurculi*, (7.) *ſtolones & propagine* His accedunt anniverſariæ partes, *folia*, *flores & fructu* *Radix* eſt ima & prima pars ſtirpis in terrâ fixa, per qvar tanqvam os, alimentum attrahitur atqvè accipitur. *Græc* dicitur ῥίζα. *Caudex* à radice proximè ſupra terram a ſurgit, in qvam, tanqvam in venam alimentum ex radic primùm aſcendit, & pleniùs concoctum ad reliqvas par tes defertur. *Græcè* apellatur ςέλεχος. *Medulla* ſeu *ma trix Gr.* καρδία eſt pars plantæ interna, in medio ſtipiti latitans conſtans ex carne & humore. *Cortex Gr.* φλοιό eſt tunica arboris, ex fibris contexta, arcendæ externa injuriæ cauſâ circumdata. *Rami Gr.* ὄζοι, tanqvam bra

*Urſinus in Arboreto Biblico cap. 2.*

*Caſman. in nucleo Phyſologiæ lib. 2. cap. 17*

chi



ià à caudice in multitudinem diffunduntur. Minores infirmiores partes ramorum sunt frondes- *Gr.* κλάδοι cantur. *Surculus Gr.* ὁ βλαςός, est pars, qvæ ex ramis nuatim oritur. *Stolo* & *propago Gr.* παραφυὰς, veluti so-les, inutili fruticatione adnascitur, nisi qvod evulsa plantata subinde adolescat. *Folia* sunt qvasi excremen-plantarum, & constant humore & fibris. *Gr.* nomi-ntur φύλλα. Folia seqvuntur *Flores & fructus Gr.* ἄνθη & καρποί. *Arborum* (scribit *Plinius*) *flos, est pleni ve-indicium, anni renascentis; flos gaudium arborum.* Lib. 16. N. N. c. 25.

Qvomodo arborum partes partibus corporis responde-t, indicat idem *Plinius.* In totum (scribit) corpore, borum, ut reliqvorum *animalium, cutis, sangvis, caro, rvi, venæ, ossa, medullæ. Pro cute cortex. Sangvis in moro; rnem & medullam sambuei. Venæ latiores fissilibus in-t, ideò fit, ut aure ad caput trabis, qvamlibet prælon-admota; ictus ab altero capite vel graphii sentiatur, etrante rectis meatibus sono. Tota ossea est Ilex, corn', ur* &c. Lib. 16. N. H. c. 38.

Qvantum igitur utilitatis ad humanam vi-n ex recensitis partibus redundet, qvotidianâ expe-ntiâ cognoscitur. Mille præterea (sunt verba *Plinii*) *t usus arborum, sine qvîs vitâ degi; non possit. Arbore ædificamus tecta. Ex arbore & simulacra Numinum fu-, nondum pretio excogitato belluarum cadaveri.* Sed tremum ad abusum pertinet. Ante inventas fruges, ctus arborum hominum fuere alimenta, & qvidem Poëtæ tradunt in aureâ ætate. *Ovidiana* sunt. Lib. 12. N. H c. 1.

*Contentiq; cibis, nullo cogente creatis*
*Arboreos fœtus, montanaq; fraga legebant.* Lib. 1. Métam. v: 104.

Ejusmodi victu olim *Brachmanes*, imò & *Pythago-ei*, Horum Magister apud *Ovidium* clamat: Plin. 12, 6. Lib. 13. Met. 75.

*Parcite*

*Parcite mortales dapibus temerare nefandis*
*Corpora: sunt fruges, sunt deducentia ramos*
*Pondere poma suo, tumidæq; in vitibus uvæ.*

Inprimis autem *glandes*, jam suum pabula, ad sedandam famen collectæ. Inde forte apud *Romanos glandiferis arboribus honor perpetuus*. Apud *Arcades* primus *Pelasgus* glandium usum docuit, qvi duravit usqve ad *Cererem*, qvæ terram colere prima, & glandes mutare frugibus docuit uti *Poëtæ* fingunt. In his *Virgilius*:

Plin. lib. 16, c. 3.

1. Georg. 147.

*Prima* Ceres *ferro mortales vertere terram*
*Instituit, cum jam glandes atqvè arbuta sacræ*
*Deficerent sylvæ, & victum Dodona negaret.*

Sed sibi *Poëtæ* non *videntur* constare, dum præter *Cererem* etiam *Triptolemo* frugum inventionem adscribunt. Inde iterum *Virgilius*:

I. G. 3.

— — *Unciq; puer monstrator aratri*

lib. 2, c. 6.

Huic adstipulatur *Justinus*: sub *Erichteo* frumenti satio apud *Eleusin* â *Triptolemo* reperta est. Verùm, si tempus & chartam perdere fas est, hæc ita concilio, *ut Ceres* sit communis & prima inventrix, *Triptolemus* verò non nisi â *Cerere* edoctus, & tantùm apud Græcos Agriculturæ inventor. Siqvidem Poëtæ fabulantur; qvod *Ceres Triptolemum* infantem aluerit currui suo imposuerit, eumq; serendi frumenti rationem docuerit, ut & alibi, inprimis in *Græciâ* eandem tradere potuerit. Missis fabulis, ad utilitatem arborum redeo, easqvè gentes verè miseras judico, qvæ arborum proventu & fructu carent. *Qvæ, qvalisq; esset vita*, (scribit *Plinius*) *sine arbore ullâ, sine frutice viventium*. Et paulò post *miseram* in septentrione *Canitorum* gentem appellat, qvippe

lib. 16. in Proœm.

Cap. 4. 7.

qvæ

*qvæ nec pecudem habeat, nec lacte alatur, ut finitimi, omni procul abacto frutice.* Ejus generis fuêre *solitudines*, per qvas ad Jovem Hammonium iter fuit. *Ibi operuere se campi, alto obruti sabulo, haut secus qvàm profundum æqvor ingrediendum esset. Nulla arbor, nullum culti soli occurrebat vestigium.* Miseræ sunt hæ gentes sed longè miseriores gentes illas existimo, qvæ arboribus, ceu nutrimento, ad alendum superstitionis ignem sunt usi, imò abusi. Hinc non solùm Diis certas arbores consecrarunt, sicuti in *Program.* 22. p. 3. dictum, sed divinos fere honores attribuerunt, exqvè iis divinationes suas instituerunt. In his laurus, de qvâ *Tibullus*: *Curt. 4. 7.* *Lib. 2. Eleg. V.*

*Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni:*
*Distendent spicis horrea plena Ceres.*

Nec singulæ arbores sed toti luci summâ Religione culti. Libeat hîc cæcam imo immanem Majorum nostrorum superstititionem ex *Tacito* noscere. *Stato tempore (scribit) in sylvam auguriis Patrum & priscâ formidine sacram, omnes ejusdem sangvinis populi legationibus coëunt, cæsoqvè publicè homine, celebrant barbari ritus horrenda primordia. Est & alio loco Reverentia. Nemo nisi vinculo ligato ingreditur, ut minor & potestatem Numinis præ se ferens. Si forte prolapsus est, attolli & insurgere haut licitum, per humum evolvuntur.* Qvid? qvod arbores etiam locutæ fuerint, si *Plinio* credimus. Cum *Apollonius Tyaneus* ad *Gymnosophistas* veniret, ulmus qvædam jussu Ducis *Gymnosophistarũ* gratulabunda eum excepit, & salutavit, voce qvidem distinctâ sed fœmineâ. Idem *Appollonius* vidit *arbores, se ad humum inclinantes*, & loqventes. Apud *Persium* Satyricum qværitur? *Qvis expedivit Psittaco suum χαῖρε?* Ego paucis mutatis verbis: *Qvis expedivit* *de moribus Germ. c. 39.* *lib. 17. 25.* *Zwing. in Theatr. p. 1529.* *Pers. in Prolog. v. 8*

*pedivit ulmo suum* χαῖρε seu *salve?* Certè non albus qvidam, sed niger ex nigrâ & Orcinâ Scholâ hîc lingvæ Magister fuit. Et *Apollonius* & *Gymnosophistæ* hujus Didascali nigro scholastico fuêre inserti. Superstitio circa arbores damnatur, imò & ridiculꝰ earum amor improbatur. Ejusmodi stulto amore captus fuit *Hortensius* æqvalis & æmulus in eloqventiâ *Ciceronis*, qvi platanos suas vino irrigare consveverat, ut essent vivaciores & spectabiliores. Longè major stoliditas *Xerxis* fuit, qvi *Platanum* ita adamavit, ut in magnâ illâ adverſꝰ *Græciam* expeditione proficiscens diem integrum sub illâ cum toto exercitu consumserit. Inde discedens illi custodiam reliqvit, & tanqvam amasiæ suæ *armillas, torqves, chalmydes, cæteraq; Nobilitatis argumenta, in amoris sui testimonium ramis illius appendit.*

Macrob. lib. 3. Saturn c. 13.
Herodot. lib. 7. 31.
Ælian. lib. 2 c. 14.

*Utilitatem* seqvitur (2.) *varietas*, qvâ arbores (1.) ratione *sexus* distingvuntur in *mares* & *fœminas*. *Arboribus*, (sunt verba *Plinii*) *imò etiam potius omnibus, qvæ terra gignit, herbisq; etiam utrumq; sexum esse diligentissimi Naturæ tradunt.* *Mas* in palmite floret, *fœmina* citra florem germinat tantùm spinæ modo (2.) *ratione effectorum.* Aliæ sunt *frugiferæ*, aliæ infructiferæ. *Frugiferæ* sunt vel *pomiferæ*, ut malus, pyrus, &c. Aliæ *nuciferæ*, ut juglans, avellana, castanea. Aliæ *aromaticæ*, ut Nux myristica, Cassia, Cinnamomum &c. Aliæ *glandiferæ*, ut qvercus, fagus. Aliæ *bacciferæ*, ut tilia, platanus &c. Aliæ *lacrymiferæ vel resiniferæ*, ut picea abies &c. Aliæ *strobiliferæ* pinꝰ, larix, Aliæ *gummiferæ*, ut lentiscus & terebinthus. Dantur etiam arbores *miscellæ*, de qvibus *Physici* videantur.

Varietas
lib. 13. c. 4.
Plin. lib. 51. c. 1.
Physica Gothana lib. V. par. spec. cap. 3. & seqv.

*Infructiferæ* seu *steriles* sunt, qvæ vel nullum omnino fructum proferunt, aut saltem nullum notabilem,

&

& usui hominum convenientem, *ut betula salix, alnus* &c.

Porrò (3.) ratione *Adjunctorum*, arbores sunt vel *novellæ* vel *annosæ*. Aliæ *folia qvotannis dimittunt*, & cum vere novum habitum accipiunt; aliæ *retinent*, ut *olea, laurus, palma, myrtus*, &c. Aliæ *citius florent*, & sæpe festinationis nimiæ pœnas luunt, ut *cerasus, platanus*; aliæ *tardius* & *cautius*, ut *Morus*, qvæ eam ob causam non arbor μωρίας, i. e. *stultitiæ*, sed σοφίας *sapientiæ* dicitur. *Novissima arborum* (scribit *Plinius*) *morus germinat, nec nisi exacto frigore*, obid dicta *sapientissima arborum*. Hanc imitatur etiam *prunus sylvestris* Schleendorn/ ut pateat Sapientiam etiam in *sylvis* & agris inveniri. Aliæ differunt ratione *loci*, ut qvædam sint *hortenses*, qvædam *agrestes*, *qvædam sylvestres*. Notabilis est inscriptio, qvæ olim in Gymnasio *Atheniensi* lecta fuit; *Arbor es agrestis? cave; sylvestris, time; Hortensis gaude*. *Agrestis* nempe *cave*. Nam omni sepimento & custodiâ destituta prætereuntium injuriæ, fustibus & lapidibus es obnoxia. *Sylvestris time*, nempe securim, qvæ cædit arbores, ædificando atq; alendo igni idoneas. *Hortensis gaude*, Habes enim munimentum, habes Tuum cultorem & custodem. Ita ingenia qvibus sua in Scholis est Cura, cultura & tutela, gaudeant, & *agrestes sylvestresq́;* mores *agrestibus* atq; *sylvestribus* animis relinqvant. Insuper ratione *Qvalitatis*, arbores aliæ aliis Virtutibus, vel occultis, vel manifestis sunt præditæ. Deniqvè ratione *Qvantitatis*, arbores aliæ crassæ aliæ tenues; aliæ humiles, aliæ altæ. Sed duas posteriores partes angustia chartæ jam excludit, suumq; spatium *Declamatoribus* præripi vetat. Liceat tamen hoc ipso tempore, qvo meditationũ nostrarum acies in *Cruce Christi* defixa est, addere versiculum, in qvo qvatuor arborum ligna, ex qvibus, secundum veterum sententiam, crux Christi fuit compacta, continentur:

Pars crucis est *cedrus*, corpus tenet alta *cupressus*:
*Palma* manus religat, titulo lætantur *oliva*.

*Plin. lib. 16. c. 20. 21. & 22. Idem lib. 16. 25. cit. loco.*

*Müller in Alleg. part. 2. p. 108.*

Addo etiam hoc, *Crucem*, servilis supplicii Instrumentum dictum esse arborem infelicem. Inde formula illa *Prætoria* : *J lictor, liga manus, caput obnubito, infelici arbori suspendito. Jesu benignissime*, qvantum Tibi debemus. Tu enim *servile* supplicium sub eré subiisti, ut nos *liberos* & Dominos constitueres. Tu *infelici arbori* sacratissima Tua membra affigi passus es, ut nos, qvâ corpus, qvâ animam, æternùm *felices* Tecum viveremus. χάριν, χάριν σοι ἔχομεν αἰώνιον. ἀμήν.

Brisson. lib. 5. form. p. 482.

Cæterùm qvicqvid de arboribus in genere â me est scriptum, id *Perorantes* in specie, nominatis arboribus, in qvibus Natura, vel potius Naturæ Auctor & Conservator admirandam suam potentiam, & Bonitatem conspiciendam præbuit, exponent. In his prior est DANIEL PRÆTORIUS, *Viri plurimùm Reverendi, Amplissimi, atq; Clarissimi*, Dn. M. PAULI PRÆTORII, *Archidiaconi Ecclesiæ Budissinæ Evangelicæ meritissimi* Filius natu majori. Is ceu felicioris & rarioris indolis surculus horto nostro scholastico maturè insertus per omnes classium areolas translatus feliciter succrevit, culturæ expectationi ex voto respondit, & se duci flectiq; haut ægrè passus est. Jam fructus industriæ suæ publico conspectui inprimis Dn. Patronorum exhibiturus *admirandas arbores* non ex domesticis, sed ex exoticis, & qvasi sub alieno sole consitis hortis sylvisq; petitas memoriter adducet. Qvantum in me est ex animo precor, *ut porrò in nostrô hortô crescat, donec summo cum emolumento in Academica Viridaria delatus* pulvillos Medicos, qvibus σὺν Θεῷ operam est addicturus, ex animi sententiâ excolat.

Posterior est JOH. CHRISTIANUS LEHMANNUS, Tit. Dn. JOH. LEHMANNI, Mercatoris hîc nominatissimi Filius. Is *pium probumq; animum, & industriam constantem* omnibus Præceptoribus, qvorum curâ per *decennium* fuit eductus, semper ostendit. Jam per *quadriennium* superioris Auditorii subselliis inhæsit, nullumq; diem otiosum prætermisit, nisi forte invitum morbi, qvorum haut leves insultus aliqvoties passus est, abstraxerunt. Inprimis Tit. Dn. M. MARTINI GRüNWALDI, *Con-Rectoris meritissimi, & Collegæ dilectissimi privatâ informatione, Collegiisq;* ad studiorum incrementa qvotannis habitis, summâ curâ, industriâq; est usus. Ut verò ante discessum, *publicum profectuum specimen* ederet idem de *arboribus admirandis argumentum* est continuaturus. Præterea ut testatior esset grati animi, (qvem & *Parens ejus re* ipsâ qvotannis ferè in Præceptores declaravit) memoria, *Germanico* metro est valedicturus, & gratias acturus. Eâ de causâ abituriens non solum has *commendatitias*, sed etiam *votivas* meretur. *Theologico studio, mi Lehmanne*, Te consecrasti. Laudo, *DEus*, cujus Ecclesiæ inservire est animus, studiis sacris Benedictionē aspiret, valetudine Te constantiori, qvàm hactenus, condonet, & post culturam Academicam, Te *fructiferam diuturnamq;* in Ecclesiâ suâ *arborem* esse jubeat Vale, & Tu cum eo, *Lector benevolens*, faveq;